



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Meditationes De Præcipvis Fidei Nostræ Mysteriis**

Vitæ ac Passionis D.N. Iesv Christi; Et B.V. Mariæ; Sanctorumq[ue] et  
Euangeliorum occurrentium Cum Orationis Mentalis circa eadem praxi In  
sex partes tributæ

Qvæ Meditationes Complectitvr circa omnia Christi Domini Acta, ab eius  
Baptismo ad finem vsque Prædictionis, Doctrinam, Miracula, Parabolas

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, 1612**

§. 7. De vitæ Mixtæ excellentijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54633)

DE VITAE MIXTAE, QVAE  
Actiuam & Contemplatiuam  
complectitur, excellen-  
tia. §. 7.



ON sine mysterio Christus Do-  
minus *Partem* nuncupauit Mariae  
vitam cum Marthae vita colla-  
tam; insinuauit enim eam voce,  
aliam esse vitam excellentissimam,  
quae veluti totum quoddam sit ex utraque parte  
compositum, quod utriusque vitae exercitia,  
nobilissima praesertim, complectitur, quae  
animarum profectum respiciunt. Hanc igitur  
velut perfectissimam (D. Thoma teste) Chri-  
stus secutus est tempore suae Praedicationis, &  
simul S. Ioanes Baptista; ac postea sancti Apo-  
stoli, sacrique Doctores, & clarissimi alij Ec-  
clesiae sancti eum sunt imitati, qui ut a *Angeli*  
ad supremum *Scale*, cui *Deus innitebatur*, *af-*  
*scendentes*, illi sese per contemplationem vni-  
ebant: & postmodum ad infimum scalae, vbi  
Iacob dormiebat, *descendentes*, excitabant, &  
ad sui creationis obsequium homines horta-  
bantur. & quamuis haec perfectio, teste Cas-  
siano, rara sit, paucisque concessa: omnes ta-  
men spirituales viri eam procurare merito  
deberent, iuxta vocationem suam. Vita enim  
cōtemplatiua, si perfecta est, amore ipso Dei,  
insignem statim proximi amorem, & eius sa-

D. Thom.  
2. 2. q. 179.  
a. 2. ad 2.  
Ex D. Au-  
gust. lib. 19.  
de Ciuit.  
D. Thom.  
3. p. q. 40. a.  
1. ad 2. q. 3.  
a Genes. 28.  
12.  
Cass. coll.  
19. c. 9.

*Richar. de  
S. Viſt. lib.  
de Contem-  
plat. c. 41.  
¶ 44.  
S. Gregor.  
Homil. 12.  
¶ 15. in  
Ezech.  
Dionys. de  
Cœl. Hier-  
rarch c. 3.  
¶ ibi Car-  
thuf.  
D. Thom.  
2. 2. q. 182.  
a. 2.  
b Gen. 30. 1.*

lutis zelum ingenerat. Et hoc ex mente San-  
ctorum Patrum, est munus pretiosissimū, quod  
Christo Domino offerre possumus; eius facti  
coadiutores in animabus lucrandis, pro qui-  
bus, ubi opus erit, vitam ipsam impendentes.  
& ita contemplatio ipsa, vt Dei voluntati sese  
accommodet, propria interrumpit exercitia,  
quò animas lucretur, quæ Deum amēt ac glo-  
rificent. & vt Martha quietem sororis suæ  
Mariæ videns, cōmunem vtriusq; Magistrum  
interpellauit, vt à sorore iuuaretur: ita cōtrā  
Rachel, quæ figura est cōtemplatiuæ, cū Liæ  
sororis, quæ Actiuam refert, fecunditatem in  
filiorum generatione videret, quæsta apud Ia-  
cob, communem maritum, dixit: *b Da mihi li-  
beros, aliōquin moriar.* qui enim perfectam ha-  
bet contemplationem & Dei amorem, deside-  
rat, sicut Apostolus, spirituales filios Christo  
generare: & hic zelus ita viscera eius inflam-  
mat, vt cū illi intereūt, ipse præ dolore mo-  
riatur; viuit verò, cū eos viuere cernit,

HÆC summa est rerum, quas Actiua &  
Contemplatiua, & ex vtraq; mixta vita com-  
plectitur: quas & iuxta vires meas curare me-  
ritò debeo; & eas à Christo Domino his & si-  
milibus colloquiis efflagitare. O IESV dul-  
cissime, quem apud Martham hospitātū Ma-  
ria eius soror inuenit: cōcede mihi, vt in ani-  
ma mea te hospicio excipiam, eam purgando  
& vitæ actiuæ exercitiis sicut Martha ita or-  
nando, vt tamen simul Verbum tuū cum Ma-  
ria audiā & contempler. O Saluator pijsime,

qui

I.

II.

qui nimiam Marthæ sollicitudinem turbationemq; reprehēdisti, Mariæ verò otium quietemq; commendasti, tibi supplico, vt ita obsequij tui intuitu vitæ actiuæ exerceam actiones, vt, quas illæ adferunt, distractiones non me perturbent, sed eas contemplatiuæ quiete paceq; componam. O animarum amator, ob quas in angustum mundi huius locum venisti, cupiens in eis hospitari, concede mihi sic meliorem Mariæ partem eligere; vt bonæ, quæ Marthæ contigit, non obliuiscar; & ita in earundem animarum commodum laborare, vt & illæ & ego tale tibi præparemus hospitium, quale ipse cupis; vt à te postea in cœlesti, sicut nos cupimus, excipiamur. O bonum meum & gloria mea, ne patiaris ita me aliorū curâ premi, vt mei ipsius oblitus, diuinam tuā doctrinam contemplari negligam. Reprime, quæso Domine, Marthæ sollicitudinem, vt locum & tempus semper cedat Mariæ; vrge etiā Mariam, ne solam omninò Marthā relinquat. O peccatorum reparator, qui Marthæ Mariæq; precibus fratrem Lazarum resuscitasti, concede omnibus Ecclesiæ tuæ filiis, vt fraternè conueniamus, ad fundendas ad te pro fratribus nostris preces, vt eos ad gratiæ vitam resuscites, qua vtriusque huius vitæ actiones actiuæ & contemplatiuæ tanta perseverantia exerceant, vt æternam omnes vitam consequamur. Amen.

III.

IV.

V.

DE